



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio V. De habitu spei Theologicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

super Christum, imò dicitur quod omnis Christi habitus & tota vita fuit timor Domini: *Et Spiritus eius* (inquit) *cum timore Domini.*

Timor seruilis est bonus.

Tertio ergo de timore seruili tota nunc controuersia est contra Nouatores, quorum ante oculos non est Deitior, unde nec mirum est quod contritio sit & infelicitas in viis eorum & viam pacis non cognoscant eorum autem stultissimam amentiam confutant optimè Catholici Theologi, vt docebo in tractatu de penitentia, præsertim autem Rossensis in articulum secundum Lutheri, Vega lib. 6. Tridentinum, & qui alios plures refert Suares lib. 2. de gratia cap. 23.

Authoritas.

Et sanè mirum est non legisse aduersarios Euangelium Matthæi decimo, vbi Christus tam apertè dicit *timete enim qui potest animam & corpus mittere in gehennam*, hic enim gehennæ timor seruilis est de quo loquimur. Non legisse Concilium Tridentinum sess. 6. can. 8. vbi anathema dicitur illi qui dixerit timorem gehennæ per quem ad misericordiam Dei à peccatis abstinendo confugimus, si voluntatem excludat peccandi, esse peccatum, & cap. 6. *Is timorem esse vnam ex dispositionibus ad iustificationem.* Deinde si rationis capaces sunt aduersarij, certè pudebit illos suæ cæcitatibus, nam timere id quod est verè malum, non potest esse nisi bonum; malum enim est obiectum timoris, sicut bonum est obiectum amoris: damnatio autem æterna est verè mala, ergo non potest esse nisi bonum timere penam æternam, sicut est bonum beatitudinem æternam sperare: ad eandem virtutem Theologicam Spei pertinet vterque actus, vt ex dictis patet: tam ergo est & honestus ac Theologicus seruilis timor, quàm Spes est virtus Theologica.

Ratio.

Deinde S. Thomæ ratio est optima art. 4. quia timor seruilis non est malus si seruilas non ita est de ratione huius timoris seruilis, vt debeat timere penam tantum principale malum, & non possit ordinari ad Deum finem vltimum, sed seruilas non ita est de ratione timoris seruilis, vt debeat timere penam vt principale malum, & non possit ordinari ad Deum finem vltimum, ergo timor seruilis non est malus: Probatur minor, quia obiectum timoris seruilis est pena, cui accedit quod bonum cui opponitur, ametur vt finis vltimus, vel quod ordinetur in Deum vt finem vltimum, & consequenter quod pena non timeatur vt principale malum, ergo seruilas non est de ratione timoris seruilis, qui ordinari etiam potest in Deum, & non necessariò timet penam vt malum principale.

Ratio S. Thomæ.

Quartò denique quod timor seruilis cum seruitate sit malus, & damnabilis, atque etiam timor mundanus manifestum est, quia vterque adiunctam habet voluntatem peccandi conditionatam quæ semper mala est, Deinde prior ille timor anteponit in actu signato malum penæ malo culpæ quod est inordinatum, & propterea timorem huiusmodi mancipiorum proprium damnant sapientissimè scriptura & Augustinus; quorum testimoniis pessimè abutuntur aduersarij, vt euellant ab hominum animis timorem hunc sanctum, & sic virtutem omnem conuellant. De timore mundano, quo auertimur à Deo, & peccamus propter metum hominum non est hic agendi locus, perspicuum enim est quàm hoc iniuriosum sit Deo, vt merito dixerit Christus, *qui erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego enim coram Patre meo.*

Ad primam Respondeo satis ostensum esse quod timor seruilis sine seruitate, nullo modo excludit actum Charitatis perfectiorem, quia etiam si detestetur peccatum propter penam, nullo tamen modo impedit actum, quo detestetur illud etiam vt Deo contrarium, nulla etiam est oppositio inter illos duos actus, nolo peccare quia timeo penam, nolo peccare quia peccatum Deo displicet. Fateor igitur quod per-

Solutio primæ dubitationis.

fecta charitas foras mittit timorem mundanum, & timorem seruilem cum seruitate: Imò & timorem etiam seruilem minuit quoad anxietatem, & sollicitudinem, quæ adiuncta esse solet timori, homo enim Deum amans vix attendit sua commoda, sed solius dilecti respicit bonum. Imò amor perfectus maximam in amico fiduciam parit, per quam anxie absteruntur curæ, manet autem semper timor in homine viatore secundum propriam rationem timoris vt merito dictum sit à Dauide, *timete Dominum omnes sancti eius*: actus enim ille bonus est, potestque imperari à Charitate, & est ferè necessarius in hac vita ad seruandam Charitatem, & omnibus perfectis consultatur, nam sancti amant etiam suam beatitudinem, & odio habent suam damnationem, quam etiam timeant, quia sciunt vanos omnino esse conatus nostros, & inconstantiam voluntatis, unde temper in timore & tremore suam salutem operantur.

De beatis alia ratio est, qui habitant in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, nam etiam si maneat in illis totus & perfectissimus timor reuerentialis, procumbunt enim seniores viginti quatuor in facies suas, & ponunt coronas suas ante finem agni, timor tamen non solum seruilis, sed etiam filialis totus cessat secundum propriam rationem timoris qui respicit malum imminens & arduum, manet verò vterque secundum rationem odij & fugæ, nam beati omnes auersantur peccatum vt malum Dei, & vt causam penæ.

In beatis manet aliquis timor.

Ad secundam Respond. falsum esse quod timor seruilis sine seruitate, virtualiter & in actu exercito habet totum illud, quod in actu signato dicit timor seruilis cum seruitate, timor enim seruilis simplex non excludit charitatem, quia non includit voluntatē peccandi.

Solutio secundæ dubitationis.

Ad tertiam Respond. negando quod timor seruilis timeat malū penæ vt summum malum, quia quamuis magis timeat penam quàm culpam, non excludit tamen actum quo magis timeretur culpa quàm penæ; vt in tractatu de penitentia fusiùs demonstrabo.

Solutio tertiæ.

SECTIO V.

De habitu Spei Theologica.

Pertinent ad hunc habitum sine dubio illa omnia quæ generatim disputata sunt de habitibus Theologicis, & quæ specialiter etiam dixi de habitu Fidei, tria tantum specialiter videntur spectare ad habitum Spei. Primum est de ordine quo generatur secundum de modo quo corrumpitur: tertium de subiecto in quo reperitur; in quibus nihil video esse quod longo egeat examine.

Certum igitur primò est, habitum Spei ordine generationis esse posteriorem habitu Fidei, sed naturaliter esse priorem habitu charitatis. Ratio est quia, non potest in nobis generari nisi eam præcedat cognitio aliqua supernaturalis, quæ in homine viatore, non est alia quàm cognitio Fidei, vt merito Apostolus Fidem nuncupet *sperandarum rerum substantiam*. Deinde suavis ordo prouidentia omnino exigit vt hominem ab imperfectioribus ad perfectiora dirigat: & prius eum conuertat ad Deum vt bonum suum, quàm ad Deum in se bonum.

Spes est posterior.

Certum est secundò, Spem non destrui per quolibet peccatum mortale, sed tantum per peccatum mortale infidelitatis aut desperationis. Sic enim omnino stantur omnes Theologi, colliguntque ex Tridentino sess. 6. c. 6. vbi dicitur quod *Spes est dispositio ad iustificationem, & sess. 14. cap. 4. dicitur attritionem quam peccatores ex metu penarum communiter concipiunt, si voluntatem excludat peccandi & Spem habeat venia coniunctam, esse impulsus Spiritus sancti,*

Prior charitate.

Spes non destruitur per quolibet peccatum.

SECTIO I.

De peccato desperationis.

TRia hic video difficultia quæ magnam habent inter Theologos controuersiam, primum est quidditas peccati desperationis, siue quid illa propriè sit & in quo consistat: secundum est malitia illius, vtrum scilicet illa intrinsecè mala sit: tertium vtrum illa possit esse aliquando licita, vtrum scilicet ille sine peccato desperare possit cui Deus reuelasset suam damnationem.

§. I.

Quidditas propria peccati desperationis.

Quid sit propriè desperatio & desperare facilius est experiri ac scire quàm dicere, primum enim Almainus & alij nonnulli apud Turrianum, negant illam esse actum potentie appetitiue, volunt enim illam consistere solum in iudicio intellectus quo quis apprehendit beatitudinem sibi esse impossibilem, vel certè iudicat absolute illam non futuram, id est se damnatum iri. Alij vt Coninck *disp. 10. dubit. 10.* faciunt desperationem actum esse facultatis appetitis, negant autem obiectum eius esse beatitudinem, sed actum duntaxat Spei adeò vt desperare non sit aliud quàm nolle sperare. Denique alij communius dicunt obiectum eius esse tàm ipsam beatitudinem tàm media quæ ad eam deducunt.

Triplex sententia.

Ratio verò dubitandi primum est, quia illud est propriè desperatio, quo posito tollitur Spes, sed posito iudicio illo quo quis apprehendit beatitudinem sibi esse impossibilem aut non futuram, implicat vt ille speret, ergo illud iudicium est propriè desperatio & qui habet tale iudicium eo ipso dicitur desperare.

Prima dubitatio.

Secundò, si desperatio Spei Theologicæ opposita, esset actus facultatis appetitis esset auersio & nolitio beatitudinis: hoc autem absurdum videtur quia non potest odio haberi beatitudo à voluntate, nisi voluntas apprehendat illam vt malam, sed qui desperat beatitudinem non apprehendit vt malam, alioquin non apprehenderet illam vt beatitudinem, imò nullus desperat de re quam apprehendit vt malam, sed potius apprehendit illam vt bonam, & illam desiderat; quomodo enim desperare aliquis potest se fore miserum? Neque satis est dicere quod beatitudinem concipimus partim bonam partim malam, sic enim non auersamur ipsam beatitudinem, sed tantum cupimus vt malum illud absit à beatitudine.

Secunda.

Tertiò, sæpius de bono, quod valde desideramus, nam etiam damnati beatitudinem desiderant, quam tamen omnino desperant se adepturos. Deinde si odio habeatur beatitudo vt difficilis & impossibilis, sequitur non odio haberi bonum, sed prosecutionem boni, ergo desperationis obiectum est sola prosecutio beatitudinis, non autem ipsa beatitudo, ergo desperare non aliud est quàm nolle sperare. Denique illud est desperatio, quod maxime opponitur Spei, defectio autem à Spe maxime opponitur Spei, ergo illa est desperatio.

Tertia.

Dico primum, desperationem esse formaliter actum facultatis appetitiue, non autem solum iudicium intellectus, quo aliquis omnino apprehendit se damnatum iri, vel non habiturum auxilia necessaria, neque huius actus auersatini proximum obiectum est actus Spei, sed beatitudo ipsa vt difficilis & non futura, & media beatitudinis etiam prout difficultia.

Conclusio trium membrorum.

Prima pars negat desperationem solius intellectus

Desperatio est actus voluntatis.

III

actum

Infidelitate destruitur.

Et desperatione.

Subiectum Spei.

sancti, non adhuc quidem inhabitantis sed mouentis: si ergo ante actum Charitatis esse potest actus Spei, potest etiam esse habitus Spei sine habitu Charitatis, eadem enim ratio quæ probat manere habitum Fidei simul cum peccato, probat etiam manere habitum Spei, sine qua motus omnis Fidei est inutilis ad salutem, cum eam ante omnia intendere Fides debeat. Destruitur ergo habitus Spei, primò per peccatum infidelitatis, adeò vt habitus Fidei non pereat vnquam, quin simul pereat habitus Spei, qui toties haud dubiè perit, quoties homo est ind dispositus ad sperandum: qui autem priuatur Fide, sperare nulla ratione potest, quod significatur Roman. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* interpret enim Fidei est ratio vt docet Augustinus *cap. 7. Enchiridij.* Quis enim speret quod non credit? Destruitur secundò habitus Spei per peccatum desperationis, quo videlicet homo desperaret de salute, vel de medio aliquo necessario ad salutem huiusmodi enim peccatum eodem modo Spei opponitur, quo infidelitas opponitur Fidei. Per peccatum presumptionis destrueretur etiam Spei habitus si formaliter & in actu signato, aliquis præsumeret de obtinenda beatitudine, non adhibendo media necessaria, quia illud peccatum destrueret obiectum Spei: si autem virtualiter tantum & in actu exercito sit peccatum presumptionis, tunc Spes non destruitur, quia per tale peccatum homo non desinit ab intentione finis, sed inordinate tantum ad illum tendit.

Certum est tertiò habitum Spei nec esse posse in damnatis, qui sperare non amplius possunt beatitudinem: nec in hæreticis qui fidem non habent. Beati nec sperare possunt beatitudinem essentialem, quod enim habet quis, non sperat: continuationem etiam beatitudinis non sperant, quia possident actu beatitudinem cuius essentialis proprietas est immutabilitas, & æternitas. Gloriam corporis sperari à Beatis multi putant non improbabiler, sed alij probabilius dicunt cum S. Thoma *quæst. 18. art. 4.* desiderare sanctos gloriam corporis, sed non sperare, quia illud bonum non est amplius arduum, sicut Christo viatori arduum erat, cum acquirere illud deberet per propria merita, beatis autem nihil restat nisi gaudium & desiderium pacificum, vnde negat Apostolus manere Spem in patria: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hæc.* Quod non impedit quin possint beati aliorum beatitudinem sperare per actum proprium Charitatis. Fateor ergo manere in beatis eundem habitum Spei, prout est amor concupiscentiæ qui fuit in via, sed ille non est amplius Spes, cum non possit elici amplius actus ille qui vocatur Spes, quatenus tendit in bonum absens & arduum.

QVÆSTIO III.

De peccatis Spei Theologicæ contrarijs.

S. Thomas, quæst. 20. & 21.

Virtus Spei vt ostendi hætenus, respicit beatitudinem vt bonum possibile, ac futurum, deinde respicit illam vt bonum arduum, vnde media jacet inter duo extrema vitia, quorum alterum desperatio est beatitudinem respiciens vt bonum impossibile ac non futurum: alterum est presumptio respiciens illam vt bonum obrentu facile. De vtroque peccato vt dicam breuissimè, primò videndum est quid, quale, ac quantum peccatum sit desperatio, secundò quale peccatum sit presumptio.

Tom. I.